



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 172. Pacta Papam inter & Neapolis Reginam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.  
A. C. 1420.

## §. CLXXI.

*Caracciolum a Regina Legatus ad Papam missus.*

**E**o in exilium deportato pax rediit, & Sfortia supremus totius regii exercitus renuntiatur Præfectus; Regina vero, quæ in cunctis a Caraccioli, licet exulis, arbitrio atque consiliis semper pendebat, eundem tanquam oratorem suum ad Martinum V. etiamnum Florentiæ commorantem decernit, eo consilio, ut illum remotiori adhuc exilio castigasse crederetur.

## §. CLXXII.

*Pacta Pontificem inter & Neapolis Reginam.*

**C**aracciolum tanta dexteritate gratiam Pontificis aucupari, illumque in suas partes pertrahere noverat, ut foedere inito Martinus non modo Reginæ auxilia adversus quoscunque, sed etiam ejusdem coronationem a Legato Pontificio peragendam sponderet: Illa vero vicissim arcem S. Angeli, Ostiam, urbemque veterem, quas civitates a Rege fratre ejus defuncto illa adhucdum tenebat, Pontifici restituere, ac Columnensibus amplissimas in regno suo ditiones concedere pollicebatur, fide etiam data, se sanctitati fuæ,

suæ, quam citissime, aduersus Braccium, Sæcul. XV.  
qui Perusium, aliaque loca subegerat, va- A.C. 1420.  
lidissimo exercitu suppetias laturam.

Hoc pacto utrinque executioni dato,  
Martinus Cardinalem Maurocenum, Ve-  
netum, Neapolim Legatum decrevit, qui  
Reginam solemni ritu coronaret, hac ta-  
men lege, ut illa Maritum suum e custo-  
dia dimitteret; cui etiam obtemperavit  
Regina; Sfortiam vero, ut a regno suo  
amoveret, cum subsidiariis copiis adver-  
sus Braccium ad Papam misit. Jamqué  
prælium utrinque committitur, & Sfor-  
tia, quamvis nullam impigri Ducis par-  
tem omitteret, suaque animi fortitudine  
partam ubique gloriam comprobaret,  
hac tamen pugna devictus est, per sum-  
mam perfidiam a Nicolao, & Gilberto  
Ursinis proditus; hi enim, dum prælium  
acrius instaret, ex condicto cum suis co-  
piis propius ad hostium vexilla transibant.  
Papa clade percepta Reginam impense  
hortatur, ut ad redintegrandum Sfortiæ  
exercitum supplementa militum submit-  
teret, illa vero surdas præbuit aures;  
Caracciolum enim denuo Neapolim redux  
Reginæ auctor fuit, ut amplis quidem,  
inanibus tamen promissis Papam detine-  
ret; quippe Sfortiam opprimere animo  
constituerat. Hic autem haud ignarus,  
quæ faba sibi cuderetur, ad pristina Nea-  
politanorum Procerum consilia rediit, ac  
conseu-

Sæcul. XV.  
A.C 1420.

consentiente Papa secretarium suum ad Ludovicum III. Andegavensem, qui tum in Provincia agebat, alegavit, impense rogans, ut Regni, quod omni jure ipsius esset, habenas capesseret.

§. CLXXXIII.

*Neapolis a Sfortia Ludovici Andegavensis nomine obsessa.*

Tam opportunam occasionem Ludovicus avide prehendit, atque altefactum Sfortiæ Secretarium cum ingenti pecuniarum vi, qua bellum inchoaret, redire jubet, pollicitus, se quoque cum validâ classe, quam mox Massiliæ instrui curaret, proxime venturum. Sfortia his firmatus subsidiis, recto tramite copias suas Neapolin ducit, ipsique Reginæ baculum, militaris imperii signum, reddit, declarans, bellici sui sacramenti tempus expirasse, proin se imposterum sub Ludovico Rege stipendia meriturum. Igitur Proceribus, qui Andegavensis partes tuebantur, sese adjungit, omnesque Neapolis aditus sedulo intercludit, ne terrestri itinere in amplam hanc urbem quidquam comineatus invehi posset. Carracciolus proximi periculi conscius, nulla mora Antonium Caraffam ad Pontificem Florentiæ agentem alegat, rogans, ut auxilio esset, priusquam Classis ex